

Ce texte des 'Epigrammata' d'Ulrich Hutten a été établi à partir de l'édition d'Eduardus Bocking, publiée en 1862, à Leipzig, chez Teubner.

## AD CAESAREM MAXIMILIANUM EPIGRAMMATUM LIBER UNUS.

## AD LIBRUM.

EP\_1 v.1 Ne prodi titulo ampliore rebus,  
 2 picta fronte, nitore liminari,  
 3 ut fallas populum liber sub auras,  
 4 multos vidi ego sic superbientes,  
 5 scombris, et piperi togas dedisse :  
 6 exi simpliciter, citraque pompam.

## DE SE.

EP\_2 v.1 Francia cui patria est, gelidam porrecta sub Arcton,  
 2 Hercyniumque nemus, qua vitifer exit in amnem  
 3 Mogus, Rhene, tuum, qua Fagina silva feroces  
 4 Francorum populos vicino dirimit Hesso ;  
 5 cui pater Huttenus, atque ordine mater eodem  
 6 contigit ex equitum, tractu tentavit in illo  
 7 Caesareas pugnas peregrino inscribere versu.  
 8 Itale, da veniam, si se haud feliciter infert  
 9 cultibus ille tuis, certe acceptum ipse tulisset  
 10 vatibus Ausoniis, si quem meruisset honorem.

## DE AQUILA.

EP\_3 v.1 Haec volucris quae nunc passis nihil utitur alis,  
 2 omniaque aera despicit e specula.  
 3 Si quasquam in terras rostrumque armarit et unguis,  
 4 quas turbas illam posse ciere putem ?

## DE CAESARE.

EP\_4 v.1 Christus habet caelos, infra regit omnia Caesar ;  
 2 nec nisi caelestem respicit hic dominum.

## AD CAESAREM.

EP\_5 v.1 Quae causa, aut quae res miseris mortalibus olim,  
 2 quos colerent votis, indidit esse deos ?  
 3 Nempe eadem, quae te feret hinc super aethera virtus,  
 4 provehit haec homines, et facit esse deos.

## DE AQUILA.

EP\_6 v.1 Non mirum est si jam cunctatrix spernitur Ales,  
 2 tam lenta multos usa quiete dies.  
 3 Nam neque compertum est, quid dum tacet illa volutet,  
 4 quae sibi constituat tempora, quidve paret.

## DE EADEM.

EP\_7 v.1 Hanc volucrem, quae nunc sine bello et sanguinis usu  
 2 pacem habuit multos semisopita dies,  
 3 si quis adortus erit, nec siverit esse quietam,  
 4 dispeream male, ni consulat ille sibi.  
 5 Non est iste sopor, ex quo non surgere possit ;  
 6 saepe lacessitae est alta soluta quies,  
 7 atque ubi surgit humo, per apertasque evolat auras,  
 8 heu quantos circum concitat illa metus !

## AD AQUILAM DE MOTU CAESARIS.

EP\_8 v.1 "Armiger alte Jovis, mundi timor, inclyta virtus,  
 2 quos ruis in populos ?  
 3 Quo se mitis amor, quo se clementia vertit,  
 4 quaeque fuit pietas ?  
 5 Arma gerit mundus, pax est turbata per omnes,  
 6 priscaque rupta quies.  
 7 Movit causa viros, furibunda in proelia gentes,  
 8 te duce bella gerunt.  
 9 Ira duces, et caedis amor, fastidia pacis  
 10 una iniere tuos,  
 11 inclyte terrarum ductor, spes summa tuorum,  
 12 alte amor, alte timor.

13 Quos trahis eventus animo ? Quas concipis iras ?  
 14 Cuive nocere paras ?  
 15 Quas affligis opes, aut quod fortissime regum  
 16 destruis imperium ?  
 17 An mortale tuis pejus requiescit in alis,  
 18 Te fruiturque genus ?"  
 19 Haec quisquam irata nimiumque nocere parante  
 20 quaesiit ex Aquila.  
 21 Retulit illa viro, "Causam illinc Gallia pugnax  
 22 praebuit, huic Veneti.  
 23 Saepe quidem Venetis, quamquam exagitata, peperci,  
 24 cum peterent veniam.  
 25 At Gallos etiam meritis, et vilibus auxi,  
 26 non retulere vicem."  
 27 Vix ea commemorans, totas consurgit in alas,  
 28 numquam ita terribilis.  
 29 Cui se tot populi juxta, passimque secuti,  
 30 applicuere duces.  
 31 Heu male consultum Venetis Galloque ruenti,  
 32 quos necat iste furor !

AD CAESAREM.

EP\_9 v.1 Velle puto Superos, ut te tua fata repente  
 2 sublimem priscis adnumerent atavis.  
 3 Vota ferunt homines et te superesse precantur,  
 4 infera nam quis te digeret haec melius ?  
 5 Ast ego fumosas quoties loco munus ad aras,  
 6 hoc peto, et hoc mecum mille petunt alii.  
 7 Invideant ne te misero pia numina mundo,  
 8 atque ita dent caelos, ne hinc rapiare cito.

DE MAGNITUDINE MAXIMILIANI AD GERMANIAM.

EP\_10 v.1 Quid veteres mirare tuos Germania Reges ?  
 2 Quid repetis priscos in tua saecula duces ?  
 3 Ne pete Gambrivios, natosque Tuisconis omnes,  
 4 visaque sub Manno fortia corda deo,  
 5 Hermionasve alacres, natosque Ingevones armis,  
 6 Cimbrorum proceres, Teutonicumque genus,  
 7 quique domi tibi, quique foris peperere decorem,  
 8 neve Ariovistos, Arminiumque ferum.  
 9 Crede mihi, temere praesens revocatur ad aevum  
 10 Carolus, ut fortis, magnus ut ille fuit.  
 11 Quid septem Henrichos, quid tres miraris Othones,  
 12 non ulli dignos cedere Scipiadi ?  
 13 Et Latio horribiles Friderichos, quos ratio egit  
 14 ulcisci infidos sanguine Pontifices ?  
 15 Ut tunc tempus erat, nemo ornamenta superba  
 16 Teutoniae potuit provehere ulterius ;  
 17 nemo istis melius gessit, vel pace, vel armis  
 18 rem patriae, nemo fortius arma tulit.  
 19 At si quem prohibitas, si quem omnis criminis expers  
 20 mens dignum patrio fecerit imperio.  
 21 Si cupis innocuos mores, pacemque, fidemque,  
 22 summus et ad votum Maximilianus erit,

23 quem neque mollities possedit, quaeque voluptas  
 24 terrarum dominis regibus esse solet,  
 25 et cui non placuit luxu indulgere supino ;  
 26 si qua fuit, numquam pax odiosa fuit ;  
 27 illecebris nullis, nullaque libidine fractus  
 28 defuit ille sibi, defuit ille tibi.  
 29 Quis vidit madidum myrrha crispare capillum ?  
 30 Quis vidit casia, quis maduisse croco ?  
 31 Quando armis requiem, bello quando otia honesto,  
 32 aut trabeam rigido praetulit ille sago ?  
 33 At contra integritas, contra est clementia virtus,  
 34 quaeque artes tantum percoluere animum.  
 35 Si petis ingenium, si ne qua industria desit,  
 36 septem uno linguas hic solet ore loqui.  
 37 Si petis, ut sumptis bellum experiatur in armis,  
 38 jam ruit in Gallos, jam ruit in Venetos.

IN OBSIDIONE PATAVINA AEGER.

EP\_11 v.1 Euganeas video turre, Antenoris urbem,  
 2 speratum fractis effugium Venetis.  
 3 Telorum volat omne genus, defendere muros  
 4 illi, nos contra tendimus eruere.  
 5 Nos caelum et tellus, illos sua moenia servant,  
 6 spes nobis, illis propositus timor est.  
 7 Reddidit inclusos sua desperatio fortes,  
 8 cumque fuga ulterior nulla sit, arma movent.  
 9 Si quis in hoc numero est, qui possit plurima, cives,  
 10 hunc ut servemus, me perimant Veneti ;  
 11 jam pede pertaesum est claudoque insistere talo ;  
 12 qui valet ut vivat, me perimant Veneti.

AD MAXIMILIANUM CAESAREM.

EP\_12 v.1 Si tua corruptum moveat clementia mundum,  
 2 ut constet, rebus non inhietque novis,  
 3 si te propositas Caesar comitemur ad artes,  
 4 si coeant votis omnia vota tuis,  
 5 major Roma fuit, numquam contendere possim,  
 6 si quis ad hanc veteres ducat Olympiadas :  
 7 nunc nostris trahimur vitiis, nobisque perimus,  
 8 quos tu quam malle, heu, tua jussa sequi.  
 9 Verte animum, Caesar. Non te mitemque bonumque,  
 10 non te clementem tempora nostra volunt.

DE MAXIMILIANO CAESARE.

EP\_13 v.1 Ille viri, Caesar, pacis studiosus, et aevo  
 2 segnitie nimia visus obesse suo,  
 3 cernere enim factis licet, et novitate stupenda  
 4 majore est, quam tunc corde putatus erat.  
 5 Donec facta tulit Veneti opprobriosa Senatus,  
 6 non caruit, sed non perfrutus est animo.  
 7 Atque igitur reputans, quae nunc sub pectore dicit,  
 8 qui non hoc Marii, Scipiadaeque latent ?

9 Maxima non laus est, confestim effundere vires,  
10 sed remorari animum, temporibusque frui.

DE SE IN OBSIDIONE PATAVINA.

EP\_14 v.1 Erraram a castris ad clausam Antenoris urbem,  
2 continuo flamma missilibusque petor.  
3 Certe equidem fateor, timui nec ut ante movebam  
4 invidiam lingua, sed bona verba dedi :  
5 "Parcite, qui Patavi muros arcemque tenetis,  
6 in me vulnifica mittere tela manu ;  
7 parcite me, Veneti, ferro disperdere et igni,  
8 nec de tot pessum millibus unus eam.  
9 Non ea fortuna est ut nunc ego vique manique  
10 horrida commoti Caesaris arma sequar.  
11 Huc me sola trahit vestri admiratio regni,  
12 noscere vos cupio, perdere non cupio.  
13 Ut videam veni, non veni evertere bello  
14 Altini sedes, Euganeasque domos.  
15 Alter ab arctoa vobis furor imminet Alpe,  
16 Germanum peditem ducit Iberus eques.  
17 Has ruite in vires, nam quae tum gloria parta est,  
18 si de tot pessum millibus unus eam ?"  
19 Nullae hostem movere preces, mihi terga relapso,  
20 heu, quam difficili consuluere fuga.  
21 "Ut caeso me nullus honor fuit, haud ita vobis  
22 pulchrum est me claudos eripuisse pedes",  
23 dicebam, et fessus media inter millia cursu,  
24 tutus in effosso delitui tumulo.

DE LEVIUSCULA QUADAM A VENETIS ACCEPTA CLADE.

EP\_15 v.1 Cernis, ut Adriacas moveant nova gaudia Ranas ?  
2 In numerum Venetus, ut saliatque Leo ?  
3 Cernis, ut Euganea respiret Marcus in unda ?  
4 Utque tumens patria vix capiat aqua.  
5 Causa rei, sumptis non fauste Teutones armis,  
6 Mille quod a Venetis procubuere duo.  
7 At postquam ferus arma geret Jove vindico Caesar,  
8 quod tutum Venetis tum satis aequor erit ?

DE VENETIS ET GERMANIS.

EP\_16 v.1 Tollere pax Venetos, Germanos arma solebant,  
2 ingeniumque suum pondus utrisque dabat :  
3 mutantur mores, neque enim Germania pugnata,  
4 armaque tu temere conseris urbs Venetum.  
5 Si licet ire retro, vicibus date mutua versis,  
6 res tunc Germanis, res erit et Venetis.

IN GALLOS, CAESAREM FUGERE COMMENTOS.

EP\_17 v.1 Solaris te, Galle miser, tibi gaudia fingis,  
2 haec petis in media commoda tristitia.

3 Fingis enim, rebusque tuis lactum instruis omen,  
 4 quo quis te in populo non putet ista pati.  
 5 Finge quidem, casusque tuos solare premendo,  
 6 interea Caesar dum gerat ista tamen,  
 7 et quem tu jactas abrupto excedere bello,  
 8 haereat in tergo, caede manue tuo.

PRO PASQUILLO ROMAE.

EP\_18 v.1 Anxia lustrato postquam gens Itala mundo  
 2 consuluit vates, consuluitque deos.  
 3 Quod male respondent vates, Pasquille, dei que,  
 4 te rogat, amisso Caesare : "Caesar ubi est ?"  
 5 Certa nec accessi referunt oracula Delphi,  
 6 nec Dodonei silva canora Jovis.  
 7 Omnia templa silent, nullus canit abdita vates,  
 8 ipse tacet Libyco corniger orbe deus.  
 9 Ut tandem inveniat, mira Florentia motu,  
 10 visa est jam claro sole tulisse faces.  
 11 Atque aliquis metuens, nec sit sine Caesare mundus,  
 12 elegit Gallum Caesaris esse loco.  
 13 Maxima res, neque te, Pasquille, peritior alter,  
 14 dic tandem, vates optime : Caesar ubi est ?

PASQUILLUS.

EP\_19 v.1 Pone metum, Romane, tuo de Caesare : vivit,  
 2 ulla fides ex me sit tibi, vivit adhuc.  
 3 Vis ultra sperare aliquid ? Venit hoc ego vates,  
 4 quo rati us loquitur Delphica fama nihil.  
 5 Pugnaces revolant aquilae, vidi ipse volantes,  
 6 et tota horribilis spargere ab Alpe minas.  
 7 Quid gemitis, Veneti, tandem ? Quid, Galle, tremiscis ?  
 8 Haec ego non dixi saepe futura prius ?

DE QUODAM IN ITALIA CONVENTU.

EP\_20 v.1 Omnia miscentur, confudimus infima summis,  
 2 partitur quisquis non sua regna tenet.  
 3 Abstrahitur Latium se cluso a Caesare, donat  
 4 hoc aliquis Venetis, hoc tibi, Galle, aliquis.  
 5 Oppositam molem, injectasque ut transeat Alpes,  
 6 has Aquilae pennas quis satis esse putet ?

IN VENETOS JAM EXSULTANTES.

EP\_21 v.1 Desinite ob casum Veneti exsultare repente,  
 2 quae fortuna bona est, itque reditque cito.  
 3 Armiger iste Jovis, qui lumine dormit aperto,  
 4 sublimi vobis imminet e specula.  
 5 Qualis ea est, non est Aquilam contemnere tutum,  
 6 saepe quid assuetam ferre morasque pati.  
 7 Jamque soporatae similis, si moverit alas,  
 8 quos non continuo conciet illa metus ?

9 Non tutum est Aquilae, Veneti contemnere pennas,  
10 et valde his potis est, et nocuisse cito.

DE CAESARE ET VENETIS.

EP\_22 v.1 Rana procax nuper Venetas egressa paludes  
2 ausa est, quam tetigit, dicere : "Terra mea est."  
3 Quam procul ut vidit specula Jovis ales ab alta,  
4 convulsam ad luteas ungue retrusit aquas.

DE VENETORUM PETULANTIA.

EP\_23 v.1 Bella movent Veneti, poscunt te in proelia, Caesar :  
2 "Quae mora ? Da bellum, proelia, Caesar, ini ;  
3 excipiunt Rheti Venetos, alacresque Suevi,  
4 Germanos gladios Itala parma voret."  
5 Haec vix dum ediderat quisquam, cum jam impete facto,  
6 in Venetos rueret, consereretque manum :  
7 Cromnia progenies, et magnae filia Trojae,  
8 quo fugis ? Hostili cum pede siste pedem.

DE BELLO VENETO.

EP\_24 v.1 "Quid faciunt Veneti ?" Pugnant. "Quo milite ?" Ranis.  
2 "Quo duce ?" Mentitus praecipit arma Leo.  
3 "Tum quibus auxiliis ?" Gallorum. "In quo hoste morantur ?"  
4 Caesare. "Quid praedae quaeritur ?" Italia.  
5 "Quid gessere igitur ?" Quosdam excivere tumultus,  
6 quod fortasse duces terruit Italicos.  
7 "Quid factum interea ?" Movit Jovis armiger alas.  
8 "Quid Veneti ?" Rebus consulere fuga.  
9 "Quem finem sperare licet ?" Regina volucrum  
10 et rostro et saevis unguibus arma geret.  
11 Desinet esse Leo, spolio dux victus adempto,  
12 fractaque in Adriaca Rana latebit aqua.

DE ODIOSO VENETORUM IMPERIO.

EP\_25 v.1 Quae vicinia non tulit moleste  
2 regnantes Venetos ? Quis anxio non  
3 commutare volebat hos periculo ?  
4 Crudeles, dominos, graves, tyrannos,  
5 saevos, "démoborous", feros, rapaces, (mot grec translittéré)  
6 gaudentes nece, sanguinariosque,  
7 Cyclopum similes, acerbiores  
8 irato Phalari, Syracusana  
9 plus aula nocuos, cadaveroso  
10 regno Lestrignonum cruentiores.  
11 Sed me nescio, quid magis molestat,  
12 ut nolim Venetos diu imperare,  
13 negant a Venetis fidem teneri.

VOTUM IN MORBO PEDIS.

EP\_26 v.1 Has tibi dona fero mundi regnator ad aras,  
 2 quae dabo jam salvo prosperiora pede.  
 3 Da morbum cessare pedis, da robur ademptum,  
 4 sic tua numquam Arabo templa sapore vacent.  
 5 Marte rapit Venetos dux Maximilianus in hostes,  
 6 Germanos pedites, et Calabros equites.  
 7 Non precor, ut morbo vivam tranquillus abacto,  
 8 in bellum ut tanto sed duce miles eam.

MORTEM ESSE EXTREMUM OMNIUM MALORUM.

EP\_27 v.1 Verbum Caesaris haud redarguendum,  
 2 dignum hoc pectore, talibusque gestis,  
 3 et vel Pharsalico amplius triumpho,  
 4 quo mortem statuit malis supremum,  
 5 finemque omnibus et modum, dolori  
 6 optatam requiem. Fluunt ter octo  
 7 Germani juvenes, recente pugna  
 8 in thermis Aponi (nefas) perempti  
 9 nec jam crura dolent pedesque, ut ante,  
 10 cur quaerant Aponi calens lavacrum.  
 11 Quod non unda dedit, nec ars, nec herba,  
 12 ut fiat lacero modus dolori,  
 13 his tot mensibus, alteris tot annis,  
 14 mors una tribuit viris in hora.  
 15 Quod quisquis videt, aestimatque secum,  
 16 an quod Julius haud putabit idem :  
 17 "Mors est terminus omnium malorum ?"

IN VENETOS.

EP\_28 v.1 Haud dum omnes contemptae aquilae, ne rana superbi,  
 2 neu tibi sub Marco semileone place.  
 3 Videris insubres Gallo licet auspice turmas  
 4 confringi, Helvetias interimique manus,  
 5 saepe suus victis rediit Deus, aut ego fallor,  
 6 aut tibi Teutonica restat ab Alpe malum.

IN BARTHOLOMAEUM DE VIANO,

EP\_29 v.1 Prospera si pugna est, juras ; si improspera, juras :  
 2 otia nactus idem, Bartholomaeae, facis.  
 3 Si vincis, juras ; iterum si labere, juras ;  
 4 in castris juras, in curia inque foro.  
 5 Militiae juras, inter convivia juras,  
 6 juras in medio naufragus oceano ;  
 7 juras arma ferens, juras in pace togaque,  
 8 juras seu tractes seria sive jocos ;  
 9 si lux est, juras, nox te jurante tenebras  
 10 invehit et fuscis Cynthia fertur equis.  
 11 Undique cum jures, jurando dic mihi tandem,  
 12 quid non jurando, Bartholomee, facis ?



## IN EUMDEM.

EP\_30 v.1 Nulla est relligio, servasti foedera numquam,  
 2 contemerasti omnem, Bartholomee, fidem.  
 3 Moribus his si te durare impune videbo,  
 4 quos colui, nullos esse putabo deos.

## ROBERTI SEVERINATIS EPITAPHIUM.

EP\_31 v.1 Robertus hac sub mole belliger cubo,  
 2 viator, ille Martius dux Italum,  
 3 gerente quo rem fortis Adria stetit,  
 4 peremptus idem patriae spem sustuli ;  
 5 Germanus insolenter ausum me dedit  
 6 exempla princeps posteris, cave, nepos !

## DE PERFIDIA VENETORUM.

EP\_32 v.1 Miraris Venetae, Caesar, pejuria gentis,  
 2 miraris toties foedera rupta tibi ;  
 3 simpliciter nimium : quid enim jurare sinebas ?  
 4 Quos jurat Venetus, non putat esse, deos.

## DE GRASSATURA VENETORUM.

EP\_33 v.1 Jam per Osopiacas Venetus leo pascua rupes  
 2 ibat et in Carnis Illyricoque legens,  
 3 ibat Amyclaei quaerens in fonte Timavi,  
 4 quis domet immanem raptibus ingluviem ;  
 5 praeda Tridentino captata est ultima rure  
 6 in primo fortis limine Teutoniae ;  
 7 cum populi Italiae partum satis esse monerent,  
 8 grassandi faceret nec tamen ille modum :  
 9 continuo Boreae surgens Jovis ales ab axe  
 10 horrenda in Venetas morte repellit aquas.

## DE VENETIS.

EP\_34 v.1 Passa sub Argivo quaecumque Agamemnone Troja est,  
 2 quae mala Pellaeo sub duce Theba tulit.  
 3 Quae Carthago potens, quae bello pressa Corinthus,  
 4 saevitum in Solymas quo fuit igne domus,  
 5 et qua Alimedaeam prostravit clade Damascum  
 6 qui terris Scythico fulmen ab orbe ruit,  
 7 qua rabie Turcus Byzanti perdidit urbem,  
 8 non metuunt Veneti, sed graviora ferent.

## DE ODIO VENETORUM.

EP\_35 v.1 Oderunt populi Venetos, odere tyranni,  
 2 quique procul quique his proximiora tenent,

3 excidium cuncti supremaque fata precantur,  
 4 regnantes nemo ferre potest Venetos.  
 5 Dispeream, tantae quae pondera sustinet urbis  
 6 si sua cum Venetis Doris amica manet.

DE PUGNA MEDIOLANENSI IN VENETOS.

EP\_36 v.1 Insubriae cecidere duces, ruit Helveta pubes,  
 2 gaudet et in patria Rana triumphat aqua.  
 3 Fer modice, nec te nimium successibus effer :  
 4 perpetuum non est hoc tibi, Rana, bonum ;  
 5 optima quaeque suum cito perficit hora tenorem,  
 6 nutat in ambiguo sors malefida statu.  
 7 Cum videas nihil esse diu, mutanda repente  
 8 omnia, per varias ire redire vices,  
 9 hoc potes eventu celebrem ductare triumphum,  
 10 nescia quae sequitur quid ferat hora tibi ?  
 11 Fer modice, nec te nimium successibus effer :  
 12 multa cito veniunt laeta abeuntque cito.

DE PRODITIONE PER MILITES GERMANOS BRIXIAE.

EP\_37 v.1 Non capta est ferro, verum auro Brixia capta est :  
 2 perdidimus famam perdidimusque fidem.  
 3 Hoc de Germanis ? Aut cui metus ante subisset  
 4 ne quisquam hos populos proditione notet ?  
 5 Perdidimus famam, cives, et turpiter ausi  
 6 omnibus externis fabula foeda sumus.  
 7 Dii perdant facinus quibus hoc auctoribus actum est,  
 8 per quos haec famae nascitur improbitas !  
 9 Tu dominis Venetis et avaro, Brixia, Marco  
 10 Germanorum hominum proditione subi !  
 11 Proh facinus ! Quid enim non dant haec tempora pejus ?  
 12 Perdidimus famam perdidimusque fidem.

DE CLADE A VENETIS ACCEPTA.

EP\_38 v.1 Odisse Adriacas sed non contemnere Ranas,  
 2 o socii, recte, qui monet, ille monet.  
 3 Dixi equidem "Sunt et Venetis sua numina ; Sors est  
 4 quae varias dubio circinat orbe vices."  
 5 Quod dixi, risere viri quidamque bibendo  
 6 clamabant Venetos se jugulare decem.  
 7 "Hoc Venetos jugulare fuit ? Vel ab hoste tueri  
 8 hoc fuit ? O vitam, somnia, vina, dapes !  
 9 Milia caesa virum sumptis sine turpiter armis  
 10 quattuor ! O vitam, somnia, vina, dapes !"

IN PUGNAM CREMONENSEM.

EP\_39 v.1 Qui volet attonitae pugnam inscripsisse Cremonae,  
 2 ut breviter "cladi" titulum det "Venetae",  
 3 hoc potuit salvo decerpere carmen Homero

4 "ektane tous batrachous aietos upsipetês". (vers grec  
translittéré)

JACOBI DE EMS EQUITIS GERMANI QUI PROELIO RAVENNENSI OCCUBUIT  
EPITAPHIUM.

EP\_40 v.1 Hospitis ad tumulum quisquis spatiare Suevi,  
2 desine propitios esse negare deos.  
3 Postquam omnes Italorum urbes patriaeque potentis  
4 implerat fama nominis, occubuit :  
5 pugnavit toties, numquam non vicit in armis ;  
6 hoc quoque, quo cecidit, tempore victor erat.  
7 Ne mortem accusa, neque enim vitam abstulit, auxit :  
8 quin haec si moveas, vivere, busta, putes.

IN PUGNAM CREMONENSEM.

EP\_41 v.1 Bella, tropaea, viros, pugnas, spolia, arma, necesque  
2 non vacat Ausonidum commemorare patrum.  
3 Caesa Cremonenses patefecit ut Adria campos,  
4 persuasum est vinci nil potuisse magis.

IN PUGNAM RAVENNENSEM.

EP\_42 v.1 Victori victoque dolor, rabida arma quiescunt ;  
2 qui vicit, non sic vincere saepe volet.  
3 Concurri sumptis quis vidit atrocius armis  
4 telaque misceri sanguinolenta magis ?  
5 Unius haud populi Pugna profudit in illa  
6 Roma suas vires Illyriumque suas ;  
7 tum proceres periire Itali, Germana juvenus  
8 amisit primae robora militiae,  
9 profligata acies Hispana, ignobile vulgus,  
10 rettulit amissis Gallia nobilibus.  
11 Julius una mali causa est, respublica Christi  
12 in sua crudeli viscera caede ruit.

AD RAVENNATES.

EP\_43 v.1 Perdis opes perdisque viros, dura omnia perfers :  
2 i nunc, Pontifici plaude, Ravenna, tuo.

IN MORTEM JACOBI DE EMS.

EP\_44 v.1 Quam prius ediderat stragem fortissimus heros,  
2 hanc super exhaustus sanguine procubuit :  
3 aspicias exsanguis jam nunc quoque frendere vultus  
4 pallentique truces fervere in ore minas ?  
5 Sic stratum, ut tulerat, jam nunc etiam arma ferentem  
6 qui videt, avertens hostis ut ante timet.

AD CAESAREM DE PROFLIGATIS VENETIS.

EP\_45 v.1 Debebat tibi nobiles tyrannos,  
 2 debebat tibi Sors viros ducesque,  
 3 invictos animo feroce reges,  
 4 gesta re celebri potentiaque  
 5 sublimes, tibi debuit triumphos  
 6 de virtute pari ; sed ut ferebat  
 7 fortunae favor atque iniquus error,  
 8 quamquam est hoc aliquid, tibi relictum est,  
 9 dum punis Venetos superbientes,  
 10 a laudum modico decore tolli.

IN PUGNAM CREMONENSEM.

EP\_46 v.1 "Ôn ubris te biê sidêreon Ouranon ikei" (grec translittéré)  
 2 et qui non homines, non timuere deos,  
 3 hac Veneti servare fidem de clade monentur  
 4 ruptaque profuso sanguine pacta luunt.

BOMBARDAE A GERMANIS PUGNA RAVENNENSI RECEPTAE.

EP\_47 v.1 Gallorum tormenta sumus, Germanus ademit  
 2 quondam hosti victor, nunc reddit victor amico.

OBSESSUS A GALLIS CUM SALUTEM DESPERASSET.

EP\_48 v.1 Qui misere natus miserabile transiit aevum,  
 2 saepe malum terra saepeque passus aquis,  
 3 hic jacet Huttenus : Galli nil tale merenti  
 4 insontem gladiis eripuerunt animam.  
 5 Si fuit hoc fatum, vita torquerier omni,  
 6 censendum est recte procubuisse cito.  
 7 Vixi equidem Musis, animum coluique per artes,  
 8 sed reor irato me studuisse deo.  
 9 Mens erat arma sequi et Venetum sub Caesare bellum ;  
 10 verum alio bello concidi et hoste alio :  
 11 pauperiem, morbos, spoliis frigusque famemque  
 12 vita omni et quae sunt asperiora tuli.  
 13 Recte actum, cecidi juvenis miser et miser exul,  
 14 ne majora feram, ne videarque meis.  
 15 (Si fuit ex fato, ut totos male viveret annos,  
 16 optatum est, quod tam corrui ille cito.  
 17 Ipse suas coluit per mille pericula Musas,  
 18 et quanti potuit, carminis auctor erat.

TROPHAEUM JACOBI DE EMS.

EP\_49 v.1 Mars genitor, votos Jacobus dux honores  
 2 haec tibi de fuis arma locat Venetis.

DE VENETIS AD CAESAREM.

EP\_50 v.1 Ferebant Veneti nimis superbe

2 fortunam patrias, sui que census  
 3 non evertibiles maris putabant,  
 4 tamquam illis dea caeca semper aurum,  
 5 semper divitias rota favente  
 6 praesens accumularet et quotannis  
 7 devictis nova regibus tributa  
 8 ultro apponeret. Hinc furor minaeque,  
 9 hinc insania pertinaxque fastus  
 10 augebant animos ferocientes ;  
 11 hinc ille immodicus tumor suasit  
 12 reges spernere despiciatuique  
 13 Germanum decus et viros habere,  
 14 divos atque homines nihil vereri.  
 15 Ah nudum quoties et indigentem  
 16 exhaustumque pecunia vocabant  
 17 ludo te Veneti salaciori ;  
 18 te dicteria, te leves cachinni  
 19 et saltatio et insolens theatrum  
 20 notabant, tibi mordicus prehenso  
 21 infames tituli et notae tributae.  
 22 Versa est tota retro beans virago ;  
 23 et quae jam Venetum joca impudentum  
 24 hancque in te petulantiam ferebat,  
 25 rursus (o tempora) dejicit premitque  
 26 nudos aeris et omnium carentes,  
 27 solos auxilioque destitutos.  
 28 It lugens mala civitas facitque,  
 29 quos spremit, superis suprema vota.

DE MUNERIBUS VENETORUM.

EP\_51 v.1 Ut pacem obtineant, ut te in sua foedera ducant,  
 2 omne genus, Caesar, munera dant Veneti.  
 3 Hoc dare surripere est : si sumpseris, o decus, o laus,  
 4 quae tibi divictis integra erant Venetis,  
 5 dant tibi quae tua sunt, rapiunt tibi maxima. Ab hoste  
 6 missa vocare igitur quid licet ? Insidias.

IN PUGNAM RAVENNENSEM.

EP\_52 v.1 Fas, socii, male velle malis, odisse superbos  
 2 armaque conari contra inimica manu ;  
 3 at miserum est sociale nefas civileque bellum  
 4 miscere et sociae cladis amore trahi.  
 5 Vicimus, at nobis perit et de sanguine nostro  
 6 effusum est quicquid perdidit ista dies ;  
 7 atque hoc servitum est iterum libi, Turca, triumpho,  
 8 quod nisi laetaris, non sapis ; at sapis hoc.  
 9 Te felicem igitur, cui quos tu perdere velles,  
 10 ipsi intestino perdimur exitio.  
 11 Victor ova, compos voti, suspende tropaeum,  
 12 nam sine caede tua vicimus ista tibi ;  
 13 mutuum in interitum pastoris ovilia Christi,  
 14 nedum haec ille lupus perderet, ipsa cadunt.  
 15 Erratum est, socii : tum si quis gaudet ab ista  
 16 caede, suo laetum se sciat esse malo.

## AD CAESAREM.

EP\_53 v.1 Senserunt Veneti quae sint ea somnia, Caesar,  
 2 quae modo dicebant perpetua esse tibi.  
 3 Tantorum sopor his igitur fuit ille malorum  
 4 causa, quod hanc requiem non voluere pati.  
 5 Fallaces oculi et simulantia lumina somnum  
 6 quo (miserum) Venetos perditis exitio !

## DE PUGNA RAVENNENSI.

EP\_54 v.1 Sparsa Ravennates semjobruta membra per agros.  
 2 Quaeque fit esca avibus quaeque fit esca feris,  
 3 diversorum hominum manante cadavera tabo,  
 4 corporis Hispani hoc, corporis hoc Veneti,  
 5 Germanorum alibi juvenum caritura sepulchro  
 6 ossa videt quisquam et temperat a lacrimis ?

## AD CAESAREM DE VICTORIA CREMONENSI.

EP\_55 v.1 Ulte nefas Venetum, scelera ulle insignia, Caesar,  
 2 confer in accensos thurea dona focos,  
 3 gratas redde preces, aequo cadat hostia Christo,  
 4 qui te, qui patriam servat et imperium,  
 5 qui Venetas tibi fregit opes, spem gentis avarae  
 6 sustulit, in miseros deposuitque metus :  
 7 sacra deo primum fac sospes, deinde triumphata  
 8 laetaque victrici fige tropaea manu.  
 9 Tum vos, Caesareae quibus est cura ulla salutis,  
 10 hic pia ferte deo munera, ferte preces.

## DE PRAELIO CREMONENSI.

EP\_56 v.1 Proelia Mantoo dare carmen idonea vati  
 2 materia, insigni justaque Maeonidi,  
 3 res Venetum, quibus aucta tenus fuit omnipotente  
 4 fortuna gratas usque movente vices,  
 5 heu quantum fregistis opum, quae copia per vos  
 6 ex illo rerum flore senescit inops !  
 7 Nubila felici duxistis quanta sereno !  
 8 Scilicet hac Venetum res fuit aucta tenus.

## DE EODEM.

EP\_57 v.1 Parte videt Venetos conflictu Crema sinistro  
 2 hac cadere atque illa parte Cremona videt.  
 3 Dat specimen Fortuna sui, dant numina signum,  
 4 heu nullam humanis rebus inesse fidem.

## AD VENETOS DE PUGNA CREMONENSI.

EP\_58 v.1 Caesareos soliti petulanter carpere somnos  
 2 cunctautisque moras vertere in opprobrium  
 3 desidiam nobis, Veneti, objecistis et illam,  
 4 nobis, haud vobis quae nocuit, requiem.  
 5 Otiisque et lusus, quando inter vina supinos  
 6 dixistis populos degere Teutonicos.  
 7 Verba animos movere virum risusque superbi :  
 8 solvimus infamis otia desidiae ;  
 9 solvimus, o Veneti, somnos, vigilamus abactis  
 10 lusibus, in vestras sed vigilamus opes ;  
 11 jamque etiam eventus docuit pugnare supinos  
 12 scire et cunctantes rumpere posse moram.

## DE FORTUNA VENETORUM.

EP\_59 v.1 Qui nuper terris, Veneti, quique omnibus undis  
 2 imperium et leges imposuere novas,  
 3 qui vicere duces, traxere in vincula reges  
 4 et freno populos continuere feros,  
 5 quorum opibus nil majus erat, quorum urbe superbum  
 6 Ilion inferius sordidiusque fuit,  
 7 et qui jam secum tumidi caput orbis agebant.  
 8 (Quid non immutant tempora ?) Sunt miseri.

## DE AERUMNIS MAXIMILIANI.

EP\_60 v.1 Quos facit excelsos, cogit prius omnia virtus,  
 2 quaedam etiam, quae vix sint adeunda, pati ;  
 3 quae si lance suis quicquid dat ponderat aequa,  
 4 et quantus labor est, praemia tanta refert,  
 5 nemo major erit, nemo te aequabit honore :  
 6 nam qui pertulerit tot mala, nemo fuit.

## DE IMMODESTIA VENETORUM.

EP\_61 v.1 Concessit Venetis maxima Jupiter,  
 2 terras et peregre divitias maris,  
 3 Europae in populos perque Asiae sinus  
 4 ingens imperium regnaque fortia :  
 5 atque haec si libeat ferre modestius,  
 6 dixisses etiam plus nimio satis ;  
 7 sed magnas quia res magna, superbia  
 8 tranquillii impatiens desuper abjicit,  
 9 rursum aufert Venetis omnia Jupiter.

## DE FORTUNA AD CAESAREM.

EP\_62 v.1 Nuper Virtuti Fortuna inimica furebat,  
 2 quantis ut posset viribus officeret ;  
 3 ergo ut te totum pessumdaret, ocus illam  
 4 fronti aptasse ferunt cornua bina suae :  
 5 tu virtute tua nixus de fronte revellis  
 6 cornu aliud Gallos, cornu aliud Venetos.

## DE IMPRUDENTIA VENETORUM.

EP\_63 v.1 Quisquis exemplo Veneti senatus  
 2 non feret laetam placide quietem,  
 3 ducat exemplo Veneti senatus  
 4 tristia fata.

## DE FATIS VENETORUM.

EP\_64 v.1 Fabula mota recens Italas conterruit urbes,  
 2 atque illam Veneti composuere patres :  
 3 scilicet ut si quid foret infeliciter actum,  
 4 haec maestum attonita pellet ab urbe metum,  
 5 esse quid in fatis quod Caesaris arma moretur  
 6 atque illos jubeat orbis habere caput,  
 7 Germanas aquilas Veneto succumbere Marco,  
 8 summaque in Adriaco regna futura freto ;  
 9 terribiles etiam clades caedemque minantur :  
 10 quae cum aliquis credat, non eget helleboro ?

## DE FORTUNA VENETORUM.

EP\_65 v.1 Regina fluctuantis haec maris potens,  
 2 modo superbia tumens et ebrio  
 3 sufflata cultu, bella delicataque,  
 4 amabilis, spectanda florido statu,  
 5 Huberta cvi fuere cuncta, quae suas  
 6 jactabat immodestias opes, nigro  
 7 sedet paratu lacrimans, nec ut prius  
 8 superbit ; ora squallido situ oblita,  
 9 genae nec ut solent tenellulae, nec est  
 10 venusta frons ; cessit potentiae suae  
 11 throno, sedetque languidum nullo caput  
 12 nitore continens manu, solo cubans.  
 13 Putavit hanc sibi haud ineptam Sors, jocos  
 14 in qua ederet suos et orbi illuderet.  
 15 Quid non tibi licere credis, Antias ?  
 16 Quae non soles miscere suprema infimis ?

## AD BONONIENSES.

EP\_66 v.1 Tu nunc Sequanicos mirata Bononia Francos,  
 2 omnibus acclamas pompa obeunte viis.  
 3 Plaude quidem pompamque nova victoribus istis,  
 4 et dominos Gallos fer dominosque voca :  
 5 verum alios Francos alio Germania plausu  
 6 heu vereor ne te non cupiente dabit.

## DE CONVENTU BONONIENSI AD ITALOS.

EP\_67 v.1 Quid te adeo, genus acre virum, quid te, Itale pugnax,



2           hi passim plausus istaque pompa juvant ?  
 3       Non quorum adspirat primo fortuna labori  
 4           continuo invicti roboris esse puta.  
 5       Fregerit Helvetias Germano milite vires  
 6           Gallus, ab imperio Sfortia deciderit ;  
 7       ast ego venturi vates ero, credite vati :  
 8           cum veniet Caesar, omnia Caesar erunt.

## DE FORTUNA.

EP\_68   v.1       Huc nunc, huc oculos patientiores  
           2       et mentis grave dirigant acumen  
           3       reges et populi ducesque rerum :  
           4       cum Gallis Venetos superbientes  
           5       contra non nihil insolenter ausos  
           6       oblitosque sui suaeque sortis  
           7       vicit Caesar et ad nihil redegit.  
           8       Quis nunc fortuitos opinione  
           9       amplexabitur exitus sequaci,  
 10       aut quod sors dederit ratum putabit ?  
 11       Quis nunc divitias potentiamque  
 12       ut certum feret, ut suumque ducet ?  
 13       Fortunae vagus est levisque nutus.  
 14       Incertus favor et rotae minacis  
 15       incomprehensibile et citum volumen.  
 16       Huic magnam Veneti fidem dederunt,  
 17       hanc semper solito venire Gallus  
 18       cursu credidit et tenore coepto :  
 19       verum haec versa retro fefellit ambos,  
 20       et quos sustulerat favens in altum,  
 21       rursum deprimit invidens ad imum.  
 22       Fortunae instabile est vagumque numen ;  
 23       virtus, quos habet, efficit beatos,  
 24       et siquid dederit, vetat revelli :  
 25       cui fidens animo nihil timente,  
 26       votis omnibus, exitus in omnes.  
 27       Terrarum caput ad nihil redegit  
 28       cum Gallis Venetos superbientes.

## DE FORTUNA AD CAESAREM.

EP\_69   v.1       Tarda quidem, sed opima tibi Fortuna resultat :  
           2       quae veniunt cupidis sera, tamen veniunt :  
           3       Jupiter ille tuus tibi dum bona temperat astra,  
           4       quiddam a Saturno, ne cito det, patitur.  
           5       Impediat licet ille, tamen melioribus astris  
           6       sunt tibi vel media fausta parata mora.  
           7       Sidera promittunt meliora. Quid ambigis ? An non  
           8       tardior ad votum est optima quaeque dies ?

## DE GALLO ET CAESARE.

EP\_70   v.1       Omnia sunt Galli, contra petit omnia Caesar :  
           2       ille quod est fruitur, hic quod abest inhiat.  
           3       Fac ludos, Fortuna, aliquos, mutata repente,

4 Caesar ut haec habeat, Gallus ut haec cupiat.

DE ITALIA.

EP\_71 v.1 Victores paulo ante penes sors prospera Gallos  
2 cum foret, in Latio fabula Caesar erat :  
3 vertit se Fortuna retro, Germania vicit,  
4 confestim Gallus displicet Italiae.  
5 Nescio quid sperem ; certe quid dicere possum ?  
6 Mobilis Italia est, nobilis ante fuit.

DE FORTUNAE MUTABILITATE.

EP\_72 v.1 Sorte sub ambigua devinctus vertitur orbis  
2 inque vicem redeunt candida et atra dies ;  
3 imus ad arbitrium Fortunae luminis orbae,  
4 ad ventum exposita vertimur inque rota ;  
5 omnia dant casus adimuntque : ita vertitur ordo,  
6 si tamen est ordo cuncta regi temere.  
7 Vidi ego regnantes Venetos servireque vidi,  
8 sublimesque iterum vidi iterumque humiles  
9 parvum intra spatium nec multos temporis annos :  
10 usque adeo variat sors variatque cito.

QUOD FORTUITA FACILE MUTENTUR.

EP\_73 v.1 Aeris eget Caesar, numeratum possidet aurum  
2 Gallus, et est auro florida res Venetum ;  
3 hostibus addit opes motu Fortuna secundo,  
4 virtutem nobis caedit et arma deus.  
5 Stat quisquam et casu mentem defigit in illo,  
6 eventum dubiae nosse cupitque rei,  
7 et dum Sidonio Gallos miratur in ostro  
8 et Tyria Venetos murice obire videt,  
9 paupere continuo spem totam a Caesare ducens,  
10 sub dominis Gallo fert Venetisque jugum,  
11 quos ubi contundi nostris rursus aspicit armis,  
12 Teutonicas iterum pronus adorat opes :  
13 nimirum sapiens ; nam quod Fortuna dat, aufert ;  
14 non hisdem vicibus dat adimitque deus.

DE EADEM.

EP\_74 v.1 Quem dederat Fortuna apicem, siquando revellit,  
2 non sibi praestandam commonet esse fidem.  
3 Sunt haec usque tamen qui demirentur et omnem  
4 in caeca ponant spem variaque dea.

DE FORTUNAE LUDIBRIO.

EP\_75 v.1 Erexerit Fortuna rotam, (sic perdita mundo  
2 illudit, quoties hanc juvat esse levem)  
3 erexit, circum attoniti regesque ducesque

4 ante vagam maestis stant hilaresque deam ;  
 5 illa viros durare jubens spe mulcet inani,  
 6 ambiguum axe movens orbem iterumque movens ;  
 7 aeternum facit hoc, nec adhuc tamen implet hiantes,  
 8 dum saepe a summo mutat ad ima loco,  
 9 dum nunc afflat opes, dum nunc subvertit honores,  
 10 dum fovet immeritos attenuatque bonos,  
 11 dumque onerat curis et sollicitudine vexat  
 12 ultra omnem fallax exspatiata modum.  
 13 Sic aptam tamen esse aliquid numenque putamus :  
 14 hunc fucum nostris oblinit haec oculis.

## DE IMMODESTIA VENETORUM.

EP\_76 v.1 Concessa est Venetis efferto copia cornu,  
 2 plausibus extemplo laetitiaque fremunt :  
 3 Caesaris arma agili siquid Fortuna rotatu  
 4 evexit, planctu tristitiaque jacent.  
 5 Usque adeo Fortuna nihil moderabile suadet  
 6 oblitosque sui, quos regit, esse facit.

## AD FORTUNAM.

EP\_77 v.1 Quem finem, Fortuna, facis ludique jocique  
 2 aut variam in nobis qua juvat esse tenus ?  
 3 Cum premeres, imo Venetos et in axe locares,  
 4 vidimus imperii luxuriantis opes :  
 5 res illis rursus facis ut contingat abunde  
 6 praecipitique leves Caesare ad alta vocas ;  
 7 conversis iterum radiis mutata repente  
 8 rem nostram et laetum provehis imperium.  
 9 Quod licet advolvas vehementi nixa rotatu,  
 10 ipse tamen didici non tibi habere fidem,  
 11 et video nostras inter res quid sit et illas,  
 12 quod nos, ut cupias, non variare poles :  
 13 nempe usus rerum nobis patientior, illi  
 14 assueti cum sint tristia ferre minus ;  
 15 si cui res igitur nimis affluxere secundae,  
 16 ordine mutatas aegrius ille feret.

## DE MUNDI GUBERNATIONE.

EP\_78 v.1 Est caelum atque illic superi qui humana tuentur ?  
 2 Aut aliquos usquam credimus esse deos ?  
 3 Vel si quis divum est usquam, mortalia curat ?  
 4 Aut adeo superis convenit esse leves ?  
 5 Certe, quicquid id est quod numen habere putamus,  
 6 a quo persuasum est inferiora regi,  
 7 instabile, infidum est, varium, mutabile, fallax,  
 8 quodque nocet temere, quod temereque juvat.

## DE MUNDI GUBERNATIONE.

EP\_79 v.1 Quos tandem in populos aut quo haec lilia pandent ?

2           Aut quas hic serpens involuetur opes ?  
 3       Inspice res, Aquila, tibi luditur ; erige pennas,  
 4           numquam cura tibi major habenda fuit ;  
 5       effice, cristati marcescant lilia Galli  
 6           et sit qui Serpens debuit esse tuus.

DE GALLO AD AQUILAM.

EP\_80   v.1       Ambitionis agrum circumvolitabat apertum  
 2           Gallus, ut hinc avido carperet ore cibum ;  
 3       visa est imperii species quasi rege vacantis,  
 4           invasit totis viribus impar onus,  
 5       nunc etiam attendit mentem et defixus inhaeret  
 6           et studiis summas omnibus ambit opes.  
 7       Recte, habet ingenium : tu quid, regina volucrum,  
 8           non hoc esse tuum, quod rapit ille, doces ?

AD GALLUM.

EP\_81   v.1       Quo tibi, Galle, amor hic regnandi atque ista cupido ?  
 2           Quin moderare animi vota tenesque modum !  
 3       Non potes, ut cupias, Aquilam superare volando,  
 4           quantumcumque alas contrahat illa suas.  
 5       Saepe moras patitur, quae, cum properare necesse est  
 6           tarde abeat quamquam, vertitur ante tamen ;  
 7       scilicet ut possis alios ita vincere gallos  
 8           et generis volucres istius ante voles,  
 9       contra Aquilam nihil est quo tu merearis honore,  
 10           ut folio cingas vel brevior caput :  
 11       par Aquilae fieri despera, haud vincere tantum,  
 12           usque adeo pennas anteit illa tuas.

AD GALLUM DE CAESARE.

EP\_82   v.1       Quo sit nostra loco res, Galle, audire laboras ?  
 2           Recte habet et placido est tota quieta statu.  
 3       Quid faciat Caesar ? Tibi tantum irascitur, aio,  
 4           atque unum id patitur, cetera laetus agit ;  
 5       lilia plus aequo tua nempe excrescere vidit  
 6           teque ala nimium luxuriante vehi :  
 7       proinde quid e folio decerpere cogitat illo,  
 8           quem te intra teneas, constituetque modum.

AD AQUILAM DE GALLO.

EP\_83   v.1       Cernis ut Insubres migrarit Gallus in urbes,  
 2           ut Mediolanum possideatque tuum ?  
 3       Cernis opes Italas hostilem invadere Francum,  
 4           quo tibi dotales eripiantur opes ?  
 5       In te suspensas oculisque animisque tot urbes ?  
 6           Auxilium populos totque vocare tuum ?  
 7       Tolle leves, Aquila, pennas Gallumque coerce :  
 8           jam tua nulla quies suspicione caret ;  
 9       tolle, Aquila, has pennas : opus est torpentis in illo

10           cunctari facto desidiamque pati.  
 11       Pande alas, regina avium, Gallosque coercens  
 12           desidia somno concita quaere fugam.

## AD GALLUM.

EP\_84   v.1       Pone modum rebusque tuis animique furori,  
           2           et, quae te supra est, ambitione vaca,  
           3       ut Latium, quod aves, habeas urbesque Latinas  
           4           et tibi Germanum pareat imperium :  
           5       tu tamen inferior quam ut possis ista tenere,  
           6           quae tentas, tergum hoc pondera ferre nequit.

## AD EUMDEM.

EP\_85   v.1       Galle, cupis Latii et Romae dominator haberi,  
           2           regiaque imperii munera, Galle, cupis.  
           3       Accipe et ad tempus nostris te insignibus orna,  
           4           adde Aquilae pennas, hac patiente, tuis.  
           5       Quae siquando suas repetitum venerit alas,  
           6           quos tu tunc risus nuda movebis avis ?  
           7       Desine cornicis furta ostentare periclo :  
           8           emergit sua quem, non quem aliena probant.

## AD CAESAREM.

EP\_86   v.1       Jam tua turbatum navis conscendit in aequor,  
           2           icta procelloso discutiturque freto,  
           3       circum Euri Boreaeque fremunt, circum omnia. Caesar,  
           4           siqua solent medio terricula esse mari.  
           5       Heu, portus invade cito, ne, dum occupet alter,  
           6           excludare vago naufragus Oceano.  
           7       Ecce subit Gallus et vento vela secundo  
           8           expedit ; ipse moram dum trabis, ille subit.  
           9       Heus, age, rumpe moras, invade ! Occasio, Caesar,  
          10           impatiens omnis optima quaeque morae est.

## GALLI JACTATIO.

EP\_87   v.1       "Pingue mihi lucete, foci, mea lilia florent,  
           2           victima Fortunae concidat icta triplex"  
           3       Gallus ait, "Sacroque ardete, altaria, fumo :  
           4           nunc mihi sus, nunc bos, nunc cadat agna mihi,  
           5       ille modo captus capto patre ducitur Anguis.  
           6           Insubres parent Cenomanique mihi,  
           7       janua paret, opes Ligurum Alpinosque subegi,  
           8           tam late populos Italiamque premo :  
           9       forlunae sed opima mea cadat hostia dextra,  
          10           ultima spes, orbis imperium, superest."  
          11       Dum jactat, cristamque levat porrectius aequo,  
          12           ista audire potes, ferre, Aquila, ista potes ?  
          13       Quin acuis rostrum passosque exurgis in ungues  
          14           et Gallum attacto pellis ab imperio !

## AD GALLUM DE FORTUNAE MUTABILITATE.

EP\_88 v.1 Multa cupis, Fortuna tibi cum plurima donet,  
 2 Galle, neque hinc modus huic, nec modus inde tibi ;  
 3 debes ipse tamen Fortunam nosse : ferendo  
 4 plurima saepe nocet, dum ratio omnis abest ;  
 5 ipsa quidem caeca est, ut cui det nesciat et quid ;  
 6 nescit in eventum quem tibi donet item.  
 7 Ecce autem quae sunt mutantia tempora casus ?  
 8 Lilia quam possunt ista virere diu ?  
 9 Frivola Fortuna est. Tempus mutabile : certe  
 10 gloria, sit quamvis magna, caduca tua est.

## AD CAESAREM DE GALLO.

EP\_89 v.1 Aspicias Italiam tumidos conserpere Gallos  
 2 liliaque ad longum sparsa virere Padum,  
 3 aspicias insessas diris populatibus Alpes,  
 4 Germanasque urbes imperiumque peti :  
 5 ut te, ut nos serves, non expergiscere, Caesar,  
 6 rapta tibi et dextra vindice ab hoste rapis ?  
 7 In medios dormite dies, ferte otia, segnes :  
 8 tu facta, atque opus est, maxima, Caesar, adi !  
 9 Maxima adi, quo se longum diffundat in aevum  
 10 fama tua, extremos rerum adeatque dies ;  
 11 aut si fama nihil, nihil haec te gloria tangit,  
 12 ne tu, ne totum hoc quod superest pereat.

## AD CAESAREM UT CONTEMPTUM SUI VINDICET.

EP\_90 v.1 Factus es altivoli opprobrium miserabile Galli,  
 2 Itala sunt risus plena theatra tui,  
 3 Caesareae spernuntur opes, spernuntur honores,  
 4 somnus Teutonicas fertur habere Aquilas,  
 5 Germanos vina inter opes consumere et aevum,  
 6 venando patrium te peragrare nemus,  
 7 Germanam peregre virtutem habitare, tuisque  
 8 arma, viros jamnunc urbibus esse negant :  
 9 quod tu, non aliquas, auscultans, induis iras,  
 10 ulcisci ut famam hanc opprobriumque velis ?

## GALLOS SUPERARE NOS GLORIA. AD CAESAREM.

EP\_91 v.1 Verum equidem fateor, Caesar, quamquam haud ita gratum est,  
 2 gloria Gallorum est major honore tuo :  
 3 nulla tamen tua culpa inibi, Fortuna jocatur,  
 4 dumque premit Gallos, te facit esse levem ;  
 5 aut operatur Ate factum istud Homericum totum ?  
 6 In quemcumque cadat culpa ea, nulla tua est ;  
 7 quicumque iste deus tamen est, nisi fers mala sponte,  
 8 tam facile haec abiges quam facile ille dedit.  
 9 Magnum adeo incepti momentum est : incipe, Caesar,

10 ut famam hanc abigas, ut pariasque decus !

QUAM PERICULOSA RES IMPERIUM. AD GALLOS.

EP\_92 v.1 Imperium nescis quam sit mala bestia, Galle ;  
 2 quodsi forte scias, tantopere istud agas ?  
 3 Nusquam adeo Fortuna levis lascivaque nusquam est,  
 4 in nulloque fuga est mobiliore loco.  
 5 Jam me, Galle, audi : qua surgere contigit istuc,  
 6 omnia ni fallant, hac ratione cades.  
 7 Nulla diu potis est durare superbia, Galle :  
 8 hoc moneo quoties tu nimis alta petis.  
 9 Jam tua mens nimium sublatam concita cristam  
 10 erigit interque has laeta triumphat opes,  
 11 certe oblita sui : quid enim si lilia , quae tam  
 12 nunc frondent, sicco stipite flacca cadant ?  
 13 Omnino ambigui casus, mutabile tempus,  
 14 multa Aquila ; virtus, Galle, minorque tibi.  
 15 Parcius haec cupiens te contrahe ! Quinetiam (audis ?)  
 16 Caesare sub domino, Galle, fer imperium !

DE GALLO SUPERBIENTE.

EP\_93 v.1 Haec cervice tumens et versicoloribus alis,  
 2 quae crista imperium despicit omne rubra,  
 3 quae mediocre nihil, nihil et moderabile secum  
 4 volvit et immensas concipit ales opes,  
 5 aemula reginae volucrum, nimis alta volutans,  
 6 quae caelum pennis nititur ire supra,  
 7 si quicquam feret his olim successibus impar,  
 8 quos risus nobis lapsa movebit avis ?

DE GALLO ET AQUILA.

EP\_94 v.1 Nuper sidereas Gallus transcenderat Alpes,  
 2 terruit Italicos bellua torva duces,  
 3 at Mediolano postquam consedit in Angue,  
 4 conflavit magnos crista superba metus.  
 5 Nunc etiam Veneti depastus membra Leonis  
 6 omniaque Adriacum nactus adusque fretum,  
 7 successu nimium fortunae elatus opimae,  
 8 aggressusque suis viribus impar onus,  
 9 ausus ubi est Aquilae nec opinas nectere fraudes  
 10 et pactum sociae rumpere foedus avi,  
 11 rursus ad Insubres lacero redit agmine montes.  
 12 I nunc, atque ultra quam decet esse para !

AD MAXIMILIANUM SFORTIAM RESTITUTUM.

EP\_95 v.1 Sfortia progenies, istis dignissime rebus,  
 2 quae tibi se lapso restituere patre,  
 3 Sfortia progenies, quem post tria lustra recepit,  
 4 a quo dispulerat sors recidiva loco,

5 gratulor ejecto tibi se committere Gallo  
 6 Insubriae populos Cenomanosque tuos,  
 7 tendere in occursum reduci matresque virosque,  
 8 qui grave Celtarum deposuere jugum,  
 9 ereptas gaudere urbes animosque tuorum  
 10 in te defixa spe posuisse metum.  
 11 Et nunc ille vagas disperso milite turmas  
 12 Belgicaque infenso numine castra trahit,  
 13 Caesareasque aquilas per non remeabile caelum  
 14 caede vaga trepidum conficiente fugit.  
 15 Da veniam, Fortuna, viris qui te omnia nuper  
 16 miscere absque ullo diximus arbitrio !

DE GALLO EX ITALIA FUGIENTE.

EP\_96 v.1 Cur nunc ille fugit demissisque ambulat alis  
 2 Gallus, tot populis qui modo terror erat ?  
 3 Cur lacero tergo fugienti atque agmine parvo  
 4 languida funesto sanguine crista madet ?  
 5 Nempe quod antetulit tranquillis turbida rebus  
 6 supra Aquilam pennis ausus abire suis.  
 7 Senserat illa dolos et cum jam multa tulisset,  
 8 rapta lacessitis unguibus arma tulit.  
 9 Quisquis habere hostem mavult quem posset amicum,  
 10 si ruat hic, dicas omnia digna pati.

DE TEMPESTATE AERIS TURBULENTISSIMA  
 IN GALLORUM FUGA PER UNIVERSAM INSUBRIAM ORTA.

EP\_97 v.1 Nunc ego te solum Gallis intendere vellem  
 2 consortemque irae non habuisse tuae,  
 3 nunc ego te vellem fugientia in agmina, Caesar,  
 4 non nisi mortales exseruisse manus.  
 5 Namque ubi lenta tuae visa est clementia pacis,  
 6 iratum Gallis sensimus esse Jovem :  
 7 igne micat caelum, quatiuntur fulmine montes,  
 8 in sata tempestas haec furit inque domus,  
 9 horridus it terris lapidosa grandine nimbus,  
 10 quaque illi fugiunt, omnia ventus agit.  
 11 Vellem quos decuit vel qui meruere perissent  
 12 aut saltem dignos plecteret ista lues :  
 13 nunc passim Italicas immiscuit illa ruinas,  
 14 et socios poena Galli habuere suae.  
 15 Per, Ticine, tuos, per quos secat Abdua campos,  
 16 jugera per Trebiae consita perque Pado  
 17 imbre jacet contusa seges, nec grandinis hujus  
 18 impetus innocua frugibus ille fuit.  
 19 Constitit hoc tanti sceleratam expellere gentem,  
 20 nec sine communi est poena reperta malo.  
 21 Quod tamen hi fugiunt quodque his regionibus absunt,  
 22 quae data sunt faciet damna dolenda minus :  
 23 nam neque nunc sacras quisquam se armabit in aedes  
 24 et spoliis ipsos saeviet ante deos,  
 25 foeda nec innuptis metuentur stupra puellis  
 26 securumque prement femina virque thorum.  
 27 Tum quia tu pugnas justamque exurgis in iram,



28 non ultra in Gallos saeviet ira Jovis.

DE EADEM.

EP\_98 v.1 Postquam pacta leves ruperunt foedera Galli  
2 caecaque fraudato Caesare bella gerunt,  
3 signa dedit Tellus, signum dedit arduus Aether  
4 ultores rupti foederis esse deos.

AD MAXIMILIANUM SFORTIAM MEDIOLANI DUCEM.

EP\_99 v.1 Efferat crudelis refugata potentia Galli :  
2 hactenus amissum fleveris, orbe, patrem.  
3 Casus ulte tuos captivumque ulte parentem,  
4 aggredere ereptas, Sfortia victor, opes.

DE PUGNA NOVARIENSI LAUS JOACHIMI DE MOLTZHAN EQUITIS GERMANI  
CUJUS EA PRAECIPUA VIRTUTE CONFECTA EST.

EP\_100 v.1 Nunc lauris hederas, hederis connectite lauros,  
2 et gemino meritum cingite honore caput ;  
3 spargite humum foliis, manibus date lilia plenis,  
4 cum violis molles accumulate rosas ;  
5 plaudite, servati cives, clamate triumphum  
6 et stata propitiis solvite vota deis !  
7 Germano juveni quos non debetis honores,  
8 auspice quo tantas Gallia perdit opes ?  
9 Solus hic Insubres tibi, Sfortia, reddidit urbes,  
10 solus ab indigno rettulit exilio :  
11 jam desertus eras, jam nil superesse videbas,  
12 consuleres rapida ni tibi forte fuga ;  
13 ille subit motaque trahit tot millia ab Alpe  
14 teque jubet refugum cum pede ferre pedem.  
15 Quid faceres ? Hinc spes urget, timor inde coercet,  
16 donec ab ancipiti liberat ille metu.  
17 Vix primae Gallorum acies videre ruentem,  
18 nudantur turpi terga suprema fugae.  
19 Vidisti hostiles medium turbare cohortes ;  
20 atque ea visa graves restituere animos.  
21 Quos nisi sic faciat, nisi consilioque manumque  
22 te juvet, hic potuit ultimus esse dies.  
23 Ingredere o factisque tuis dignum accipe munus  
24 teque triumphali fer, Joachime, rota !  
25 Hoc tibi servati decernunt cum duce cives ;  
26 laudet, amet prolem Saxonis ora suam.

DE VIRIBUS GALLORUM.

EP\_101 v.1 Cum ductore ageret bellum sub Caesare Gallus,  
2 fortis et horribili Marte timendus erat ;  
3 at postquam ex causa discessit uterque seorsum,  
4 naufraga sublato cortice fertur avis,  
5 nec volat absque alis, nec init sine cortice flumen,  
6 nec vim sejuncto Caesare Gallus habet.

## AD MAXIMILIANUM SFORTIAM.

EP\_102 v.1 Ne, juvenis, demitte animum, ne cede periclo,  
 2 ne sine te primo turbine destitui !  
 3 Transeat hostiles ardente Trivultius Alpes  
 4 agmine, in adversum Gallia tota ruat :  
 5 at tibi se Caesar, tibi se Germania fido,  
 6 ne modo desperes, obtulit auxilio.

## DE CAESARE ET GALLO.

EP\_103 v.1 Arma gerens multas Gallus perterruit urbes,  
 2 commoti Gallum Caesaris ira fugat.  
 3 Tantum aliquid Gallus igitur valet et breve tempus :  
 4 omnia subjecto Caesar in orbe potest.

## AD GALLUM EXPULSUM ITALIA.

EP\_104 v.1 Ne tibi turpe puta nec sit tibi, Galle, pudendum,  
 2 quod nunc Caesareo cesseris imperio :  
 3 quos poteras, armis vicisti : ea gloria magna est,  
 4 contra summa potest Caesaris arma nihil ;  
 5 tum si debueras vinci, solacia praestat  
 6 quod te qui vicit, Maximus ille fuit.

## DE CAESARIS MAGNITUDINE.

EP\_105 v.1 Bella gerunt reges quoties sua causa lacessit ;  
 2 non nisi quod magnum est vincere Caesar amat :  
 3 tunc cum parva fuit nec tanta potentia Galli,  
 4 quamquam hunc, cur posset tangere, causa foret,  
 5 "Tangam, ait, at postquam est nacta ista superbia summum" ;  
 6 nunc quota venturae portio laudis erat ?  
 7 Degeneres animi contra imbecille feruntur ;  
 8 non nisi quod magnum est vincere Caesar amat.

## AD MAXIMILIANUM SFORTIAM.

EP\_106 v.1 Sfortia, pone metum, contempto exurge periclo :  
 2 Helvetium peditem fert Joachimus eques.  
 3 Pugnandum est : pavidos tu pande, Novaria, muros :  
 4 ex te etenim Gallis illa procella ruet.  
 5 Perdideras patrem, servabis strenua natum :  
 6 vertit enim facilem Sors recidiva rotam.

## AD JOACHIMUM MOLTZHAN.

EP\_107 v.1 Cui datus es miles bello, dux factus eodem es,  
 2 vidit et armari et vincere tempus idem.  
 3 Dux tyro, confestim virtus maturuit in te :

4           quid mirum ? Summis haec venit ante diem.

DE GALLO ITALIA PULSO.

EP\_108 v.1       Testis erat Gallus paulo ante insigniter ausus  
           2           non esse in dominos arma gerenda deos :  
           3       nam cum ultra vires quiddam tentaret, ab illo,  
           4           quem se sperarat vincere, victus abit.  
           5       Tamquam aliquid sese indignum fortuna tulisset,  
           6           primum illi victo repsit in ora pudor ;  
           7       at postquam cura ratio mentem egit ab illa  
           8           altius est casus intuitusque suos,  
           9       "Arma tui temere", quoties irascitur, inquit,  
          10           "numen habet Caesar, numine vincor ego."

AD MAXIMILIANUM SFORTIAM.

EP\_109 v.1       "Sanguine nunc, Ticine, rube, nunc sanguine, Lari,  
           2           infice Teutonicas caede fluente rates.  
           3       Qua fugiunt Galli, si non tenet omnia miles,  
           4           claude viam erepti, Jupiter, effugii."  
           5       Haec aliquis : justis superos movere precatus,  
           6           grassati in Gallos diique hominesque simul :  
           7       numquam ita terribili luxerunt fulgura motu,  
           8           turbavit sumptum turbidus imber iter.  
           9       Sfortia progenies, pro quo movet omnia mundus,  
          10           aerumnosa patris desine fala queri.

AD EUMDEM DE FRANCISCO PATRE.

EP\_110 v.1       Tam poterat vixisse diu, superesse tot annos  
           2           Sfortia, praescisset si tua facta, parens.  
           3       Nunc dolor et rapti mala desperatio regni  
           4           heu misero vegetos comminuere dies.  
           5       Discite, mortales, rebus praeferre caducis  
           6           spem longam et nullis cedere sponte malis.

AD REGES TERRARUM.

EP\_111 v.1       Qui Gallum, reges, vinci Venetosque videtis,  
           2           invito moniti Caesare habete nihil :  
           3       si quis enim vestrum tantum irritaverit hostem,  
           4           non poterit summis viribus esse satis :  
           5       maxima res Venetum, res maxima credita Calli est ;  
           6           atque hos conjunctos sustulit ille simul.  
           7       Jam si quis sumptis bellum experietur in armis,  
           8           frustra spem sera collocat in venia.

DE MAXIMILIANO SFORTIA.

EP\_112 v.1       Cenomanae gaudete urbes, Insubria, gaude,  
           2           et gratare tuo libera facta duci.

3 Respexit Fortuna graves miserata querelas,  
 4 quod quondam abstulerat restituitque bonum.  
 5 Da veniam periisse patrem, complectere natum,  
 6 spem patriae et tanti relliquias generis.  
 7 At tu, inferne parens, isto gavise triumpho,  
 8 elue Sequanici carceris opprobrium.

DE INGRESSU CAESARIS IN ITALIAM.

EP\_113 v.1 Castra quod Insubres penetrarunt Caesaris urbes,  
 2 quod Trebiam, quod jam transiit ille Padum,  
 3 mota quod iratos fundit Germania Rhaetos,  
 4 saeva quod in Latium promovet arma Lycus,  
 5 Franca quod Ausoniis se miscent agmina turmis,  
 6 Itala Teutonicas quod videt ora manus,  
 7 non tu, Roma, time, verum arripe laetius omen :  
 8 non nisi qui nocuit Caesaris arma timet.

IN PICTURAM DE CAESARE.

EP\_114 v.1 Nuper retrogrado quidam te insidere cancro  
 2 pinxerat hoc titulo "Tendimus in Latium".  
 3 Hoc quid erat nisi quod cupias nec vincere possis,  
 4 et quoties aliquid coeperis, ire retro ?  
 5 Sed pictura fuit : contra res vera secuta est,  
 6 pro cancro tellus Itala vidit equos ;  
 7 vidit equos viditque viros : nos te auspice, Caesar,  
 8 non jam retrogradi tendimus in Latium.

DE GALLO FUGIENTE.

EP\_115 v.1 Ille ardens animi feroxque Gallus,  
 2 gallinarum aliquot salax maritus.  
 3 Nuper purpurea nimis superbus  
 4 crista multicoloribusque plumis,  
 5 torta quam caput altiore cauda,  
 6 collo splendidus aureo monili,  
 7 flagrans undique lilio virenti,  
 8 qui gentes Italas novum stupentes  
 9 ad raptum impete terruit citato,  
 10 nunc languens animi, albicante crista,  
 11 plumis deficientibus, trahensque  
 12 caudam pone, suas fugit relinquens  
 13 gallinas, sua lilia et sua arma.  
 14 Dic, Fortuna, vel ipse rectius dic,  
 15 quid te, Galle, tibi abstulit repente, aut  
 16 quo tandem ille animi vigor resedit ?  
 17 An, qui somnia dormiebat alta,  
 18 per te est excitus irruique Caesar ?

DE VICTORIA CAESARIS ADVERSUM GALLUM.

EP\_116 v.1 Vicimus et Latio Gallos dejecimus armis,  
 2 ut juvenis nostra Sfortia regnet ope ;

3 vicimus, ille fugit qui nos paulo ante premebat,  
 4 cum premeret, pactam non tenuitque fidem.  
 5 Disce fidem et quod inis, regum ditissime, foedus  
 6 servare, haud superum jus violaque deum :  
 7 ut possis homines deluso fallere pacto,  
 8 crede mihi, superis non ita verba dabis.

DE FOEDERE GALLORUM CUM VENETIS.

EP\_117 v.1 Foedera conjungunt Veneto cum milite Gallus,  
 2 hinc alque hinc Latios ut subigant populos :  
 3 Itala terra tremit, populos metus ille Latinos  
 4 concutit et mentes abjicit ambiguas,  
 5 horret et ipsa prius tantos experta furores  
 6 advocat ultores anxia Roma deos ;  
 7 pacem Caesar habet, Germania tota quiescit,  
 8 nec quam quis petiit, ferre videtur opem.  
 9 Quorsum haec ? Ut summas postquam res traxerat iras,  
 10 maesta luant Galli, maesta luant Veneti.

VENETORUM MINAE.

EP\_118 v.1 Desperant Veneti secum extremumque minantur  
 2 auxilium Turcas auxiliumque Syros.  
 3 Dum tu magna facis, sine ut illi magna minentur.  
 4 Heu mihi, quam distant omnia facta minis !

DE CONJURATIONE VENETORUM ET GALLORUM.

EP\_119 v.1 Magna Jovis volucris gelida spectabat ab arcto  
 2 pacem, quam populis fecerat ipsa prius :  
 3 protinus hinc Veneti furia importuna leonis,  
 4 hinc Galli armatas explicuere acies :  
 5 illa quidem, ut steterat, primos requievit ad ausus  
 6 et passa est aliquid se vigilante rapi ;  
 7 quae postquam hostiles auxit patientia vires,  
 8 in medio Latii maesta tulere duces :  
 9 "Tentor, ait , nimium !" Subitasque ut moverat alas,  
 10 continuo Gallus hinc fugit, inde Leo ;  
 11 ille quidem Insubres madefecit sanguine montes,  
 12 nescio quae Venetos ulteriora manent.

IN ANNUM M.D.XVI. PROGNOSTICON AD LEONEM X. PONT. MAX.

EP\_120 v.1 Quae se horrenda movent, superi, quae dira redundant  
 2 in genus humanum ? Flagrat proh Jupiter omnis  
 3 in clades Europa suas ; respublica Christi,  
 4 heu nimium secura sui, ruit in sua praeceps  
 5 viscera, crudelesque ciet miseranda tumultus :  
 6 omnis in Italiam tendit furor ; ipse minatur  
 7 horrificam Latio stragem Saturnus, et atro  
 8 increpuit Martem intuitu ; Mars arma necesque,  
 9 sanguineum molitur opus : saeva omnia regnant.  
 10 Concessit de jure suo graditurque retrorsum

11 Jupiter, et totum dat acerbis cladibus annum ;  
 12 idque adeo metuens et non ignara futuri  
 13 bis petit obscurum et condit se Luna tenebris ;  
 14 ipse quoque obducta pallet ferrugine frater.  
 15 Tot signis monuere dei : praesensimus omnes,  
 16 cavit nemo malum ; sed nec potuisse putandum est :  
 17 auctores dii cladis et accusabile fatum.  
 18 Ecce ergo aerias ruit hac a parte per Alpes  
 19 effusura omnes iterum Germania vires,  
 20 substitit iratus Veronae ad moenia Caesar  
 21 in Latias speculatus opes, traxitque feroces  
 22 Rhaetorum populos et amantes bella Suevos  
 23 Francorumque equitum numquam expugnabile robur  
 24 Vindelycasque manus et abactum montibus illis  
 25 Helvetium peditem, tum quicquid Rhenus et Ister,  
 26 quas vires celer Albis habet, peregrinaque regum  
 27 auxilia, Scythicos metuendo Pannonas arcu,  
 28 et te, Beme, armis invictum, equitemque Polonum,  
 29 Hispanosque alacres, quo non animosior ullus  
 30 expugnare urbes populus ; neque segnior audet  
 31 parte alia Gallorum acies, jamque optimus annis  
 32 confertum rex agmen agit raptumque tuetur,  
 33 Insubriae fines et agri ditissima regna,  
 34 Cenomanos Ligurumque urbes Alpesque subactas.  
 35 Dant animos juveni patriae praedivitis aurum  
 36 successusque sui ; volucres in bella sequuntur  
 37 Allobrogum turmae pugnantisque eminus arcu  
 38 Atrebates, tum qui longaevae ab origine gentis  
 39 se numerat Biturix, suetusque ad proelia Vascon,  
 40 utilior pugnare pedes, Rhodanumque colentes,  
 41 quique bibunt Ligerim, tum quod te, Sequana, ripa  
 42 vulgus utraque videt, quique impete Celticus acri  
 43 fertur eques. Quos dehinc juvat auxiliaribus armis  
 44 urbs Venetum, fatisque suis obnoxia fertur  
 45 in commune nefas ; cincta est feralibus armis  
 46 Italia, et possessa malis, nec jam ipsa salutem  
 47 ultra aliquam potis est sperare peritque videndo.  
 48 Posce deos veniam supplex, Leo, et omnibus aris  
 49 innocuas protende manus sacrisque litatis  
 50 iratos placa superos ; pax incubet orbi  
 51 et toties sperata tuis et debita votis.  
 52 Jam satis hoc luimus : superet de sanguine nostro  
 53 quod melius liceat rabidis offundere Turcis  
 54 hostilique Asiae, Solum quo vindice templum  
 55 infestis auferre Syris divumque sepulchrum.

QUI ET QUALES IMPERIUM ITALIAE AMBIANT.

EP\_121 v.1 Regna petunt Latii Venetus, Germania, Gallus,  
 2 fraude nocens vinoque madens nimiumque superbus,  
 3 dignae odio gentes : "Vinci, Italus orat, Apollo,  
 4 Italiam levioere jugo ! "Gens perfida semper,  
 5 Phoebus ait, Venetum ; gens semper Galla superbit ;  
 6 non semper Germana bibit : lege de tribus unam."

DE IMBECILLITATE GALLI.

EP\_122 v.1 Parturiunt montes, ille exit ridiculus mus ;  
 2 cinnama promittit Gallia, praestat olus.  
 3 Crediderant Itali venturam e montibus illis  
 4 quam posset bello vincere nemo manum ;  
 5 turba ruit, levis Atrebates et femina Picton,  
 6 huicque superstitio Parrhisiana comes,  
 7 insuetusque mali Leucus, quique impete primo,  
 8 non potis in longum, Celticus urget eques,  
 9 commentorque fugae Biturix timidique Cadurci  
 10 et, quos jam toties vicimus, Allobroges ;  
 11 Insubres rapiuntur opes, sese obvia produnt,  
 12 Sfortia se vendit, dat sua regna Ligur.  
 13 Quos tunc non plausus, quos non, decepta, triumphos  
 14 edebat tellus Itala, Galle, tibi ?  
 15 Caesar adest pugnamque petit : tu vix bene viso  
 16 non ruis ut pugnes, sed ruis ut fugias.  
 17 Desinite ulterius, Itali, confidere Gallo :  
 18 non potis est, si quid cepit, habere diu.  
 19 Adde quod haec armis non vicerat, emerat auro :  
 20 hoc tandem est illi vincere, regis opus.

## DE EADEM.

EP\_123 v.1 Ver erat, extulerat pugnax sua lilia Gallus ;  
 2 florida bisseis mensibus illa tulit ;  
 3 ver iterum, gelida movit se ventus ab arcto  
 4 nescio quis : subito Lilia flacca jacent.  
 5 Et miramur adhuc quae tam breve lilia florent ?  
 6 Quin sinimus dubiis rebus habere fidem.

## DE CONVENTU GALLI ET LEONIS.

EP\_124 v.1 Gallus in Italia est. Genitor miserere deorum,  
 2 grande sibi adscivit terra Latina malum :  
 3 prodita libertas Italorum ; ipse abstulit omnem  
 4 principibus mentem Juppiter Ausoniis,  
 5 hoc ubi consilio pacem turbabat amicam ;  
 6 quamque alias semper, tunc Leo caecus erat.

## DE GALLORUM ET VENETORUM AMICITIA.

EP\_125 v.1 Aurea saecla iterum redeunt, Saturnia regna ;  
 2 nunc, Cumaea, tibi est facta, Sibylla, fides :  
 3 cum canibus timidi venient ad pocula damae,  
 4 intra se hostiles claudet ovile lupos.  
 5 Nimirum coeunt inimica, per omnia pax est,  
 6 cum placido Gallus pacta Leone ferit.

## DE EADEM.

EP\_126 v.1 Vivi venimus huc superstitesque.  
 2 Jungi sic inimica cerneremus  
 3 Gallos atque odii inscium Leonem ?

4       Atque hoc credere quis potest nepotum,  
 5       cum Gallo aequoreas coisse Ranas,  
 6       vel junctos ita cum Leone Gallos  
 7       adversis Aquilam petisse signis ?  
 8       Haec audacia magna : at illa major,  
 9       si pacto patientia est fideli  
 10       inter se coeuntium duorum.

AD CAESAREM DE CONJURATIONE HOSTILI.

EP\_127 v.1       Respexere dei te, Caesar ; hoc unde putemus,  
 2                haud exempla rei, res facit ipsa fidem :  
 3       cum Gallis Venetus discordibus irruit armis,  
 4                se novat inque tuas bellum iteratur opes ;  
 5       projicit ampullas Veneti maris unda, tumescit  
 6                jamque suo major robore Marcus adest.  
 7       Credo equidem solium Jovis illum et sidera fastu  
 8                poscere, nec mundi regna putare satis.  
 9       Luxuriantem animum compesce, libidine vincta,  
 10               atque animi votum contrahe, Marce, tui :  
 11       quantumcumque bono veniant tua carbasa vento,  
 12                siste tamen, properam cursu inhibeque ratem ;  
 13       successus urgere tuos, nimis alta petendo  
 14                eniti quam sit res metuenda vide !  
 15       Sic illum qui rem melius novere monebant,  
 16                et meliore fide : perfurit ille tamen.  
 17       Respexere dei te, Caesar, ad ultima ventum est ;  
 18                oderunt hominum cuncta superba dei ;  
 19       nec dubita, pactum hoc discordia quanta sequatur,  
 20                cujus plena vides omnia perfidiae,  
 21       unus in hoste labor juncto, victoria duplex :  
 22                et bene credemus non tibi velle deos ?

DE BELLI QUALITATE AD GERMANOS.

EP\_128 v.1       Quam sapit ille gravi qui temperat utile honesto,  
 2                nec temere ullius fertur amore boni.  
 3       Regna petunt Veneti, sed non sua : quam sit honestum hoc,  
 4                haud operae pretium perspicere esse putant ;  
 5       ut rapiant, sociis armant se in proelia Gallis,  
 6                jamque adeo tentant Caesaris arma palam.  
 7       Jungantur Gallis Veneti : nos causa tuetur,  
 8                quae, quoniam justa est, spem jubet esse ratam.  
 9       Ultiores sperate deos, injuria belli  
 10                quos premit ; interea corripite arma tamen :  
 11       ignavos odere dei, vigilantibus adsunt,  
 12                in conjuratos corripite arma, viri !

DE BELLO VENETO AD CAESAREM.

EP\_129 v.1       Bellum ingens oritur : proh numina ! Materia apta est  
 2                quam sibi desumat quodlibet ingenium :  
 3       magnas cogit opes magno molimine Gallus,  
 4                nec Venetis sumpta est acrior ira prius ;  
 5       tranquillus petitur Caesar, tantique paratus



6           unica Germanum causa fit imperium.  
 7       Spe magna gerere arma datur : jam te objice, Caesar ;  
 8       hac te cunctari res tulit ista tenus,  
 9       ultra omnis damnosa mora est, magna hostis aditur,  
 10       sed quae se vinci sustinet, ira, tamen :  
 11       quorum utrumque armis superavimus ante seorsum,  
 12       quis prohibet junctos exsuperare duos ?

QUALE SIT HOSTIUM FOEDUS. AD CAESAREM.

EP\_130 v.1       Ille adeo semper Venetorum cognitus hostis,  
 2           cum Venetis tandem fodera, Gallus, init :  
 3       da specimen, Germane, tui, rumpe otia, Caesar,  
 4       totque lacessitus prorue in arma modis !  
 5       Omnis in eventus rerum Italus arrigit aures,  
 6       mentem illis novitas adjicit, his adimit :  
 7       expavere aliqui, tum plebs ignara futuri,  
 8       ut possis satis his viribus esse, timet.  
 9       Ne timidis, Caesar, concede hoc foedere Gallum  
 10       crevisse atque igitur robur habere duplex :  
 11       non ut amet Venetos, ut te oderit, istud inivit  
 12       foedus : et hoc dubitas qua tenus esse queat ?

DE FOEDERE CUM GALLIS VENETORUM.

EP\_131 v.1       Pace inimica diu Venetis et foedere juncta est  
 2           Gallia : degeneres terreat hoc animos.  
 3       Juratum est in te, Caesar, jamque arma parantur  
 4       te contra et cives expedienda tuos :  
 5       incursus terrore tui, jam dum acrius instas,  
 6       qualibet hos jungi condicione facis.  
 7       Res bene habet, nisi quos committere foedera cogis,  
 8       cogere ad haec eadem dissoluenda nequis.

DE EODEM.

EP\_132 v.1       Thure piate deos, onerate altaria donis :  
 2           cum Veneto Gallus semileone facit,  
 3       juncta semel disjuncta diu discordia concors ;  
 4       haec tandem eximii causa laboris erit.  
 5       Grata, viri, solvenda deis cadat hostia : recte  
 6       sic cum Germanis an dubitamus agi ?  
 7       Materia ingenti sese obtulit ista triumpho,  
 8       nunc quaeri decus hoc, nunc honor iste potest.  
 9       Tantum, ut cum Venetis metuam se jungere Gallos  
 10       atque hostile in nos surgere foedus, abest.

HORTATUR AD PUGNAM.

EP\_133 v.1       Pugnandum ! Euganeas concivit ab aequore Ranas  
 2           Gallus, et optivo nomine Marcus adest ;  
 3       exspuit hostiles vento incitus Adria spumas  
 4       contra Aquilam, patrii murmuris usus ope.  
 5       Res bene habet, sive hanc pugnemus in aere pugnam,

6           sive in aquis, terra seu capere arma juvet :  
 7       penna Aquilae rostrumque ingens unguesque reduci,  
 8           lumen et inverso sole probata acies,  
 9       pectus et ingenium et praestanti robore corpus,  
 10       tum regnum hoc avium, tum favor ille Jovis ;  
 11       pugnet eques pugnetque pedes, rate naviget aequor  
 12       quisquis in Austriadem comparat arma Aquilam !

## AD CAESAREM.

EP\_134 v.1       Auctae hostis, Caesar, vires atque aucta potestas,  
 2           armaque ab adverso congeminasse vides :  
 3       non jubeo timeas, sed ne contemne periculum ;  
 4           tum vero, ut solvas otia, tempus adest.  
 5       Tempus adest, age, rumpe moras et somnia differ :  
 6           jam vigilant Galli, jam vigilant Veneti.  
 7       Surge age, cunctatum satis est ; tum rite quiesces,  
 8           cum tibi, quem cures, non super hostis erit.

## DE JULIO II. PONTIFICE MAXIMO ORBEM CHRISTIANUM IN ARMA CONCITANTE.

EP\_135 v.1       Concitat iratum bellator Julius orbem,  
 2           effera pacificos induit arma duces,  
 3       tela dat Italiae, tibi dat, Germania, bellum,  
 4           hoc turbante domo prodit Ibera quies ;  
 5       impulit audaces eadem vesania Gallos ;  
 6           his facibus Venetas ardor adussit opes ;  
 7       ultima ab hoc flavos dedit insula mota Britannos,  
 8           in commune Scotus contulit arma nefas.  
 9       O ubi nunc Turcae ? Sed inexcusabile bellum  
 10       orbis in exitium commovet unus homo.  
 11       Omnibus arma dat unus homo, bellum omnibus unus,  
 12       idem publica res efficit ut pereat,  
 13       ut Christi perimantur oves, turbetur ovile,  
 14       pascat et admissos caula adaperta lupos.  
 15       Haec rabies placido dimovit vincula Jano,  
 16       haec furia implevit omnia caede nova.  
 17       Atque huic, qualis erat (neque enim bonus) illud ovile  
 18       credidimus, miserum credidimusque pecus ;  
 19       toti quinetiam regem praefecimus orbi  
 20       nomine pastoris, nomine pontificis.  
 21       Dira venenato soboles latro prodite partu,  
 22       hac Christum, hac sequeris condicione Petrum ?

## DE GLADIO JULII.

EP\_136 v.1       Ille sui longo successor in ordine Petri  
 2           more novo tantas res agit et studio ;  
 3       nam neque pro populis orat pacique relictus,  
 4           quod faceret Petrus, sacra fidemque docet ;  
 5       verum bella movet, gerit arma et sanguine gaudet.  
 6           Nimirum Paulum praetulit ille Petro :  
 7       Paulus habet gladium, sed non ferit, occidit illo ;  
 8           at malus hic multis intulit exitium.

## DE EODEM.

EP\_137 v.1 "Huc barbam Pauli, gladium Pauli, omnia Pauli ;  
 2 claviger ille nihil ad mea vota Petrus" :  
 3 hoc simul edixit, pro Christo accersere mortem  
 4 ultro credidimus duraque velle pati ;  
 5 tum vero occinuit funesto classica cornu,  
 6 continuo praeceps mundus in arma ruit.  
 7 Hoc Pauli tibi barba, pater, tibi suaserat ensis ?  
 8 Hoc istaec licuit arma tenere modo ?  
 9 Quem gladio decet occidere, haud occidere Pauli,  
 10 aut satis armatum clavibus esse Petri.

## DE IULII PERFIDIA.

EP\_138 v.1 Julius, a Phrygio qui legit nomen Iulo,  
 2 et cui nunc rerum contigit esse caput,  
 3 discite quos tanto dederit cum nomine mores,  
 4 quo jure Assaracis adnumeretur avis :  
 5 in dubios casus avidum cum Caesare Gallum  
 6 abstulit, ablatos deseruitque cito :  
 7 non servasse fidem destructae infamia Trojae est,  
 8 a Troja in nostros hoc trahit ille dies.  
 9 Neptuno Phoeboque Phryges promissa negarunt :  
 10 exemplo geminos fallit et ille duces.  
 11 Perfida bis veteris ceciderunt Pergama Trojae ;  
 12 at quando aut quoties perfidus ille cadet ?  
 13 Una luit, decimum dum bellum ducit in annum,  
 14 Laomedontaeam Graecia clade fidem ;  
 15 at feret hunc Gallus, feret hunc Germania pugnax  
 16 callida disposito parta ferire dolo ?

## AD PRINCIPES CHRISTIANOS.

EP\_139 v.1 Sic periit pudor et periit prudentia, reges ?  
 2 Sic juvat in cladem vos sine mente trahi ?  
 3 Atque ipsos suasore juvat vos perdere Iulo,  
 4 vaecordes monitis in scelera hujus agi ?  
 5 Et cum nondum Asiae bellum Aegyptusque negarint,  
 6 intestina domi conserere arma juvat ?  
 7 Aut quasi pauca fero veniant haec commoda Turcae,  
 8 sic propriae visum est cladis amore trahi,  
 9 inque vicem vos civili consumere bello,  
 10 ut super exhaustos viribus ille ruat ?  
 11 Ah, pudeat Liguremque sequi, dum suadet, Iulum,  
 12 et tandem placeat consulere in medium !

## DE JULII INSTITUTO.

EP\_140 v.1 Julius assumptis Petraeum clavibus ante  
 2 coeperat ire gregem ;  
 3 continuo lupus acer oves invasit et atrox

4 miscuit exitium.  
 5 Ille, datis Petri diffisus clavibus, actas  
 6 liquit inermis oves ;  
 7 nec mora, Paule, tuum, quo se tueatur, ad ensem,  
 8 non propria arma, ruit.  
 9 Ecce autem insueto contra sua castra paratu  
 10 dum videt ire lupus,  
 11 indoctum gladii, quae non bene ceperat, egit  
 12 deserere arma ducem.  
 13 Contemptas recipit Petrus sua munera, claves  
 14 qui ferat, alter erit ;  
 15 nescius at Paulus, ne quis sua conserat arma,  
 16 privat et ense virum.  
 17 Quas nunc ducet oves quae nunc in pascua, mancus  
 18 clavibus et gladio ?

IN JULIUM DE STATU URBIS BONONIENSIS.

EP\_141 v.1 Olim clara viris et splendida vatibus olim,  
 2 fortuna nullis inferiorque locis,  
 3 maeret apud patrium deserta Bononia Rhenum,  
 4 cum res perdiderit perdideritque viros ;  
 5 maeret, at interea vastator Julius audet  
 6 dicere provectam vindice se in melius.  
 7 Siccine res hominum tu, siccine provehis urbes,  
 8 pernicies vatium, nobilitatis, opum ?

DE JULIO.

EP\_142 v.1 Pertaesum est Petri, nunc Julius esse laborat,  
 2 Martia contemptis clavibus arma gerit,  
 3 "pollas d'iphthimous psuchas Aïdi proïapsen."  
 4 Hanc summam laudis praedicat ille suae.

DE JULIO ALLUSIO.

EP\_143 v.1 Julius est Romae, Quis abest ? Date, numina, Brutum !  
 2 Nam quoties Romae est Julius, illa perit.

DE GALLO ET CAESARE JAMJAM PUGNATURIS.

EP\_144 v.1 Arma per Insubres, Gallorum hinc, Caesaris inde  
 2 mutuum in exitium rapta tenentur, agros ;  
 3 utrimque atra viris rabies et sanguinis ardor  
 4 stat ferro et dubia caede petita sequi.  
 5 Non licuit, superi, tantum servare cruoris ?  
 6 An nisi cruda parant vulnera cuique suum ?  
 7 Et causam his dederit tuus ille vicarius, armis,  
 8 Christe, tuumque omni perdat ovile modo ?  
 9 Tu casus, Fortuna, regis, te iudice certant  
 10 Gallorum inde acies, Caesaris hinc acies.

DESCRIPTIO JULII.

EP\_145 v.1 Qui chalybe et duris amicitur Julius armis,  
 2       terribilis barba terribilisque coma,  
 3       cui torvos horrore oculos frons occulit atrox,  
 4       Tartareae ignescunt cujus in ore minae,  
 5       ille, inquam, gladiis atque occidente sagitta.  
 6       Et terra populis et metuendus aquis,  
 7       qui trucibus reges terrarum innexuit armis,  
 8       qui taetrum excito sevit in orbe malum,  
 9       ille tot exitiorum et tanti criminis auctor,  
 10       quo se cum populis imminuere duces,  
 11       quique manu quique ingenio dira omnia patrat,  
 12       natus in humanum pestis acerba genus,  
 13       cujus opus mors est, turpissimus otia luxus,  
 14       qui pacem cunctis abstulit, arma dedit,  
 15       ille, inquam, talis cum vita et moribus exstet  
 16       dissimilis Christo dissimilisque Petro,  
 17       quid facit aut quid habet quod tandem dicere possis  
 18       dignum Romani nomine Pontificis ?

## DE INDULGENTIIS JULII.

EP\_146 v.1 Fraude capit totum mercator Julius orbem,  
 2       vendit enim caelos ; non habet ipse tamen :  
 3       vende mihi quod habes : nam quo (pudor), ut mihi vendas,  
 4       ipsum te, Juli, cujus egere vides ?  
 5       Quin fera centimanos emittat terra Gigantes,  
 6       Julius expulso vendat ut astra Jove :  
 7       donec enim caelos alius regit et tonat inde,  
 8       non ego tam magni muneris emptor ero.

## DE EISDEM.

EP\_147 v.1 Nunc ego terque quater venturae gaudia vitae  
 2       et quaedam, quae sum vix habiturus, emi ;  
 3       accepi toties tabulas impressaque cerae  
 4       nomina, sed tantum nomina cum tabulis.  
 5       Illud et hoc temere : neque enim sperare quis ausit  
 6       empturum se quae vendere nemo velit,  
 7       aut si forte velit, quae nemo vendere possit,  
 8       cum caelum solus qui bene vivit emat :  
 9       jam vero ut risu hoc dignum, tamquam esse beatum  
 10       testibus his egeat, signa peti et tabulas !

## IN JULIUM.

EP\_148 v.1 Omnia turbantur, retro omnia versa videntur,  
 2       qui bene non vivat, posse beare alios !  
 3       Cum multos ferroque neces atroque veneno,  
 4       cum scelere occiderint milia multa tuo,  
 5       cum tibi funesti sint sola negotia belli,  
 6       otia monstrosae conscia luxuriae,  
 7       cum dicas faciasque nihil nisi turpe malumque,  
 8       interea caelum expendis, Jule, tamen ?  
 9       Idque aliquis credat cui mens in corpore sano

10 sana sit, et Christum qui putet esse deum ?

DE JULIO.

EP\_149 v.1 Hunc scelerum auctorem tantorum, hunc fraudis amicum,  
 2 cui requies bellum, pax odiosa fuit,  
 3 omne libidinibus genus usque ad monstra notatum,  
 4 quo dare quid pejus dii tibi, terra, queant ?  
 5 Non tantum esse malum permisimus, esse beatum  
 6 credidimus, mundi pertulimusque caput.  
 7 Exhaustas igitur divino lumine mentes,  
 8 o, et in errorum rusticitate vagas !

AD JULIUM.

EP\_150 v.1 Dic mihi, sancte pater, caelestis janitor aulae,  
 2 cui geritur summae relligionis apex,  
 3 qui reges regis atque locas relocasque tyrannos,  
 4 qui nutu solvis cuncta ligasque tuo.  
 5 Qui sanctos facis et cui contigit esse beato  
 6 ante obitum, qui nos ante obitumque beas,  
 7 quid tibi bombardis opus est, quid equisque virisque  
 8 quaeque armata praeit quae sequiturque manus  
 9 hastarumque ista segete atque horrentibus armis ?  
 10 Quid cinctura opus est hac gladiisque tibi ?  
 11 Omnia quid trahis haec ? Aut cur, sanctissime, tanto  
 12 belli opere expugnas oppida, castra, domus ?  
 13 Nonne manu poteras, tremulo simul ore, levata  
 14 hos dare diis subito Manibus hosque deo ?  
 15 Certe omnes Petri similes aliterve probatis  
 16 moribus haec possunt omnia pontifices.  
 17 Quid dicam, an quoniam malus es, diffisus et armis  
 18 Pontificum, et praeceps Martis in arma ruis ?  
 19 O, in te erratum mundo, qui, cum ista facessis,  
 20 non videt a Petri te procul esse via.

AD CAESAREM DE GERMANIAE STATU.

EP\_151 v.1 Quando erit ut lumen Germania capta resumat,  
 2 hinc Romam ut videat seque suumque trahi ?  
 3 Quando erit, ut bullas auroque parabile plumbum  
 4 orbe aliquis vendi cernat emique alio ?  
 5 Aut tua perpetuo, quod nunc, Germania, Caesar,  
 6 ludibrium Romae diripientis erit ?  
 7 Quin mundi imperium et caput hoc mundi imperiique  
 8 (nam possum haud aliud dicere) Roma tua est.

AD CAESAREM DE BELLO VENETO.

EP\_152 v.1 Sanguinis effusum civilis, Caesar, abunde est,  
 2 jam, credo, hoc ducet Julius ipse satis :  
 3 accipiant Veneti dominum te, Gallus adoret,  
 4 publica, Christicolae, foedera inite, duces ;  
 5 te revehat celebri Germania laeta triumpho,

6           dehinc Asiam Christo cogat habere fidem ;  
7       summa sit haec rerum, vota haec communia sunt,  
8           quod velit ille deum rector habere ratum.

\*\*\*\*\*